

Mezereum. Paris quadrifolia. Pyrola rotundifolia. Rosa spinosissima. Rubus Idaeus. Geum rivale. Actaea spicata. Prunella vulgaris. Vicia cracca. Trifolium pratense et repens. Tussilago Farfara. Carex flava. Urtica urens et dioica. Pinus Abies, rarissime ad Koravara. Salix pentandra. Polypodium fragile et Filix mas. Præter Veronicam officinalem et Scirpum lacustrem, omnes supra memoratæ plantæ, etiam ad Quickjock vulgares sunt. Itaque Hordeum ibidem sæpius maturescit, quam in Karesuando.

## §. 60.

Plantas alpinas ad terminos agrorum circa Karesuando non verò ad Quickjock descendentes, sequentes observavi. Pinguicula alpina. Avena subspicata. Chamæledon procumbens. Sibbaldia procumbens. Juncus biglumis. Epilobium alpinum  $\alpha$ . Carex microglochin. Carex saxatilis. Salix herbacea, polaris, myrsinites. Itaque hic quoque diversitas observatur. Ceterum observandum est, regionem Karesuandensem longe ex alpibus esse remotam; Quickjockensem vero sub ipsis alpibus esse sitam; unde plantæ alpinæ ibidem celerius descendere, quam ad regionem circa Karesuando, possunt.